



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold

Venetiis, 1595

Anicia Bassa Gens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38372

ANICIA BASSA GENS.

B Assorum Aniciorum clarissimam Familiam Romæ etiam extitisse testantur cum Aurelio Prudentio, & alii Historici; eorum primus in Fastis Consularibus nominatur, Anicius Bassus, qui anno Urbis 1158. Christi uero 408. Consulatum cum Fl. Philippo meruit: quem per manus quasi acceptum, eius etiam filius:

Anicius Bassus, in Occidente gessit, cum Fl. Antiocho Orientis Cos. anno Urbis 1183. Christi 431. De eo agens Panuinus lib. 3. comment. in Fastos, sic inter cætera inquit: *Est enim Aniciorum* (Bassorum uidelicet) *gens, Romæ per hæc tempora nota.*

ANICIA FAVSTA GENS.

EX Aniciorum etiam sanguine, & ut ego suspicor, ex eadem quoque Paullinorum Familia, fuit Anicius, Acilius, Glabrio Faustus, V. C. qui anno Christi 438. una cum Imp. Theodosio XVI. in Occidente Consulatum administravit: qui in antiqua tabula marmorea Romæ etiam Præfæctus Urbis appellatur, ita:

DD. NN. Aeternis Principibus, Honorio, & Theodosio Anicius, Acilius, Glabrio. Faustus, V. C. Præf. Urb. Fatali casu subuersam, in formam prisici usus restituit.

Eius filius creditur fuisse,

Auienus Anicius Faustus Iunior V. C. cuius Consulatus primum notatur in Fastis Consularibus anno 483. sine collega: & II. an. 490. cum Fl. Longino. Eius meminit Cassiodorus in epistolis, & Sidonius Apollinaris.

Gradus 15.

Anicius Iulianus, Anicij Baliste filius, gessit Consulatum, R. Baronio attestante, tomo 3. annal. Eccles. cum Petronio Probiano, anno Urbis 964. Christi 322. quorum Consulatum vetus extat memoria sic habens:

g Pe-